

h. 101, 54

Y b  
218

X 2003689


M. JUSTI GOTOFREDI RABENERI  
IN LAUDEM  
NOBILISSIMÆ FREIBERGÆ  
ORATIO  
OBSIDIONALIS.

a. 1683

v. in Eiusd. Amoenitatibus Historico-  
Philolog: (Lipsiæ 1695. 8.) p. 536. seq.



**F**reiberga clara maximis vir-  
tutibus,  
Qvas posterī mirentur omni se-  
culo,  
Non æmulentur, hacce fronte  
fufcipe,  
Qva porriguntur civium præ-  
conia  
Confessione veritatis debita.  
Si verò magnitudinem non af-  
feqvor,  
Non culpa noſtra, ſed tuæ virtu-  
tis eſt.





*JESU juva!*

**S**I quis penitioꝛe oculo to-  
tam festoꝛum rationem intue-  
atur, gaudii & doloris quæ-  
dam semina custodire illa deprehendet,  
qui duo affectus hominum actionibus  
ex æqvo ferme intercurrunt. Ut enim  
beneficiorum divinorum memoria læ-  
titiæ quodam sensu mentes nostras ti-  
tillat: ita calamitatum recordatio con-  
tra lancinat, totiusqve gaudii cursum  
molesto interventu turbat. Insignis  
tamen diversitas vel incuriosorum ocu-  
lis se sistit in eo, quòd divinitùs insti-  
tuta,

A 2

tuta,

tuta festa lætioris plerumque argu-  
menti sint, five amantissimum generis  
nostri Numen ita calamitates interpo-  
lare, five animos à terrenis miseriis ad  
coelestem lætitiã erigere voluit. Quo  
factum est, ut Judæorum Sabbata,  
Neomeniæ, Paschata, Jobelæi, & ple-  
raqve alia illorum festa lautioribus epu-  
lis, lætioribus hymnis; omni denique  
animi remissione celebranda ab ipso  
Deo præciperentur. Unum expiatio-  
nis magnæ diem excipio in memoriam  
lapsus Adamici, qui hoc die contigisse  
creditur, institutum. Idem habent  
Christianorum quoque feriæ, nisi quod  
anniversaria passionis recordatio, mul-  
tis tamen Theologorum improbanti-  
bus, mœrendi religionem imponere,

videatur. Quæ verò festa hominibus  
originem debent, triste quæpiam &  
luctuosum præ se ferunt. Hinc dies  
occupatæ Hierosolymæ, exusti templi,  
occisi Gedoliæ & alii luctuosissimè &  
hodiè peraguntur, ut est illa gens ad  
flendi facilitatem, dolorisqve simula-  
tionem maximè prompta. Non alia  
ratione Romani quoque fasti atros  
quosdam dies actui rerum eximunt,  
infaustæqve Idus calamitatem Alien-  
sis prælii luunt. Quid Cannas jam lo-  
quar, & proximum quemque post Ca-  
lendas, Nonas atqve Idus diem pari  
superstitione damnatum? Ut autem  
rebus publicis nullum majus infelici  
prælio accidere potest damnum; ita  
nec victoriâ beneficium. Inde apud

A 3

ean-



eandem gentem Februarius Tarqvini-  
os superatos, Aprilis ludos ob victo-  
riam Cæsaris, Augustus ejusdem de  
Hispania citeriore triumphos, Septem-  
ber Aetiacam felicitatem diu custodié-  
re. Atque inde fluxit etiam tota suppli-  
cationum religio. Quoties enim Senatui  
literæ laureatæ ab Imperatore quodam  
afferrentur nunciantes justam ab ho-  
stibus victoriam, mandato ejus templis  
apertis ad omnia Deorum pulvinaria,  
per aliquot dies supplicationes insti-  
tuebantur. Hostiæ mactabantur, epu-  
lum dabatur, populus pro beneficio  
accepto gratias agebat, & vota pro fe-  
licitate urbis ac imperii concipieban-  
tur. Neque id apud Romanos primi-  
tùs cœptum. Ipsæ etiam sacrarum li-  
tera

terarum Pandectæ expressissima hujus  
rei retinent vestigia. Ita enim Josaphatus post memorabilem illam contra varios hostes victoriam cum suis in vallem laudationum convenit gratias acturus. Sic Mardocheus dies Purim instituit, quibus Soteria DEO pro liberatione populi Judaici redderentur. Ita Judas Maccabeus victoriarum suarum memoriam anniversaria gratulatione consecravit. Idque pia ratione semper imitati sunt Christiani, quoties armis rem bene gesserunt, & hodie quoque jure meritoque imitantur. Si enim Dracones, si Leones, si ferocissimæ quælibet bestię beneficiis vincuntur, & quocumque possunt modo benevolentiam erga benefactores suos testantur,

tur, quanto major opera & homini dan-  
da & Christiano, ut gratam mentem  
omni ratione ostendat, & si non aliter,  
saltem gratuito verborum honore be-  
neficia deprædicet.

Romanorum Imperatores in ipso  
prælii ardore fana vovebant, & prædæ  
decimas & anathemata templis, & vi-  
ctimas Marti, aut hecatomben futili-  
bus Diis. Noster verò DEUS opu-  
lentior quàm ut beneficiis nostris in-  
digeat, & sanctiùs in cordibus homi-  
num colitur, quàm templorum quam-  
libet magnificentissima structurâ. Aut,  
si tantus amor benè faciendi, egenos  
habemus, ubi meliùs anathemata no-  
stra reponuntur, & in quibus quovis  
adyto præsentius Numen. Quia ta-  
men



men grati ex ingenui animi est benefi-  
cium, si referre non possumus, saltem  
agnoscere & deprædicare, nos quoque  
pridie hujus diei ex instituto majorum  
in omnibus templis autorem salutis no-  
stræ venerati sumus, Eucharisteria sol-  
vimus, & hodie eidem pietati perlita-  
turi in auditorio hoc convenimus. Ni-  
si oppidò fallor, tria cum primis sunt,  
victoriæ momenta, quæ ex historia  
obsidionis ultimæ maximè elucent,  
(quamvis & fides erga Principem huic  
urbi jam olim propria communem  
mensuram superet) civium dico Pieta-  
tem, Concordiam, Fortitudinem, qui-  
bus optima Freiberga ex hostium fau-  
cibus erepta, non sine admiratione  
totius Europæ feliciter triumphavit.

B

Quæ



Quæ tria, dum brevissimè explico, pro  
mensura ingenioli mei favete, quæso,  
animis, favete lingvis, favete auribus.

**Q**Vadragesimus jam annus est, cum  
Calendæ Januariæ civium aliàs gra-  
tulationibus piisqve votis consecratæ  
tantum non funesto fidere illucescen-  
tes non votorum modò; sed & auri-  
um usum abstulerunt. Quamvis enim  
tertio & pridie Calendarum hostili ful-  
mine propugnacula nostra attonita,  
magis, quàm percussa sint: ludus ta-  
men & jocus, & ex pulvi fulgur vide-  
ri poterat istud, si quæ deinde secuta  
sunt, quis æstimet, quando non toto  
vertente biduo bis mille quingenti  
ictus & ultra in urbem nostram ex-  
cussi

cussi sunt, ex violentissimis machinis, quibus etiam sereno aëre iratum cœlum imitatur crudelis hominum, & in sui saltem perniciem ingeniosa solertia. Confederat proximè urbem, & intra jactum minoris teli hostis recenti ad Lipsiam victoria ferox, & velut impetu quodam continuæ felicitatis illam obruturus. Illud quippe cladium magnarum solet esse ingenium, ut non modò eos, qui in acie succubuerunt obnoxios victori faciant, sed & latè terrorem dent, resistendi audaciam minuant. Quæ ut augerent, fati protervè utebantur Sveci felicium armorum ambitu. Brisacum, Ratisbonam, Glogoviam, Lipsiam, (at quantas urbes! quàm egregiè munitas!) ces-

fisse armis. Nostram verò nec muni-  
tionibus, nec præsidii virtute parem.  
Nullam à victis partibus superesse  
spem suppetiarum. Dederet ergò se  
ocyus arbitrio victoris nondum irrita-  
ti, quod ni faceret, extrema omnia  
experturum, nec prægnantes extra  
sævitiâ militis fore. Quid ageret  
optima urbs? Quantum valeant Sve-  
corum arma tota Germania suis cladi-  
bus, & ipsa incendio populosissimo-  
rum suburbiorum didicerat. Enimve-  
rò non turpè modò obsequium, ve-  
rum quoque periculosum esse dedere  
se perfidis, cives proximo ante decen-  
nio senserunt ab Holkiano milite tan-  
tum non ad extremas incitas redacti.  
Defendenda ergò mœnia & pro aris,  
focis,

focis, patria, conjugibus, liberis, fide,  
libertate dimicandum animosè. Hæc  
sententia postquam & honestior visa  
& securior, omnia ad defensionem  
ita sunt comparata, ut nec imbellis  
quidem ætas, aut imbecillior sexus im-  
munis haberetur. Sua & illis arma,  
sunt tradita: non cassides, non thora-  
ces ferrei, non tela, non gladii; sed  
preces, vota, suspiria, lachrymæ, ge-  
mitus ex sanctiore pietatis armamen-  
tario deprompti, quorum vim superio-  
ris obsidionis felix Catastrophe com-  
mendaverat, cum ejusdem gentis ar-  
ma hisce *ἀμυντηρίοις* pertusa, fracta, fuga-  
ta sunt. Quoties enim exacerbatus  
hostis in mœnia assultum parabat, si-  
gnum in omnibus templis campana

B 3

da-



datum, & ad spiritualia arma concla-  
matum est. Vidiffes ibi omnibus viis  
pallere fenes, trepidare anus, exani-  
mari matronas quodam lachrymarum  
ambitu, flere puellas, plorare pueros,  
aliosque, qui nondum ad virile robur,  
per adolescentiam iter peregerant, ad  
fana ruere, vultus omnium lachrymis  
inundari, alios manus ad coelum  
tollere, alios in humum se abjicere,  
omnes feriis precibus & ardenti fide  
numinis fidem obtestari, implorare au-  
xilium, miserari se suosque, denique  
totius patriæ salutem commendare.  
Multi, quibus langvor jam in genibus,  
aut quos festinatio præsentissimi peri-  
culi opprefferat, in ipso foro atque vi-  
cis profternebantur, & querula voce  
focia

focia arma de caelo suppliciter invocabant, adeò, ut imbelles isti non paucioribus assultibus caelum, quàm Sveci mœnia invaderent. Nec intra hos pietas substitit; sed ipsi in vallo armati, dum in omnem timoris sui partem, sollicitos oculos circumferunt, & mortem semper in procinctu habent, precibus præeunte Ministro Ecclesiæ vacabant audientibus & iridentibus calamitosam religionem in fossa adversariis. Eant nunc Ajaces nostri, & imbellem pietatis affectum dicent, & sub autoramento scelerum atque dirarum militem probent.

Tunc certè deprehensum fuit preces ex ipso periculo vires capere, devoti pectoris ignes calamitatum velut

qui-

quibusdam follibus succendi: tunc ve-  
ritatem illius oraculi: Oratio iusti mul-  
tum valet, quasi manu prehendere li-  
cuit. Ipsos hostes constat, quoties  
pulsam campanarum inaudierunt, ne-  
scio quod frigus circa præcordia sen-  
sisse, ferociam remisisse. Exsequiis suis  
ferale signum interpretabantur, cum  
in medio furore armorumque procin-  
ctu starent, ignem, coedem, vastitatem,  
stupra spirantes. O miram orationis  
efficaciam! ô stupendam vim precatio-  
num! DEUS, DEUS est, qui arma-  
tis animum, hostibus arma adimit.  
Quoque testatior esset exorati Numi-  
nis fides, vix primam comparuerat ho-  
stium agmen, vix excubias disposue-  
rant, cum ecce pulcherrima Iris con-  
specta



1  
9  
specta omnes bono animo implevit,  
tantò certius, quòd & anni tempus a-  
lienum, & hiems solito inclementior  
sæviebat. Hoc scilicet signo olim di-  
vina clementia casus humanos post ca-  
taclysmum miserata foedus pepigit, se-  
curitatem orbi promisit, & Noachum  
benè sperare iussit. Et ne quis cavil-  
lari queat, vidisse & Munzeri sectato-  
res rusticos iridem, quâ horâ à Princi-  
pum exercitu cæsi & dissipati sunt,  
aliis quoque argumentis benevolentiam  
suam adstruxit DEUS. Visi enim  
in cœlo flammantes globi, audita in-  
solita tonitrua, imbres ignei & sangui-  
nolenti in castra decidere. Venti &  
tempestates horrendum in modum  
in opera hostium incubuere, & quod

C

mira-

miraculo propius crux nigra è nubibus  
adversùs oppugnatores movit, tan-  
tum non expressis literis monstrans,  
in quo signo nobis vincendum esset.  
Quid aliud restat, quàm ut plenus gra-  
tulatione, plenus admiratione accla-  
mem Freibergam;

*O nimium dilecta DEO, cui militat  
æther,*

*Et conjurati veniunt ad classica venti.*

Quid mirum ergò, cives ac præsidia-  
rios commilitio cœli fretos tam stre-  
nuè rem gessisse? Globi verò machi-  
narum & reliqui generis pyrobolia,  
quàm impunè sæpe per medios homi-  
nes transiére, quàm parcente impetu!  
Laborat fermè annalium fides, nisi vi-  
verent

verent hodieq̄ve, quorum succenturiata auctoritas rem firmaret. Sed quid insolens, si successibus caruere impiorum conatus? Turpe dictu, & ad infamiam non modò gentis; sed seculi fermè pertinens, dicendum tamen. Templum Xenodochii nequiter profanatum, laquearia dejecta, suggestus, imagines, epitaphia, sedilia igni combusta, & (horresco referens) ipsa imago Crucifixi positus in altari ipso flammis nefariè ustulatum. O funestam rabiem! ô belli furias! Non satis erat templum ipsum vastasse, ædes destruxisse, fodinas corrupisse, arbores frugiferas excidisse, nisi etiam Salvatoris sacratissimi effigies hostiliter tractaretur. Usque adeone bella DEUM,

pietatem, conscientiam ex mentibus  
eliminant! Qvis hoc non dico expe-  
spectâisset, sed saltem relatum crede-  
ret de nostræ religionis hominibus?  
Cur enim à partibus nostris stabat,  
quem sub hujus supplicii forma vene-  
ramur? At quanto religiosiùs gentiles  
olim sanxerunt: Si quis in templo ho-  
mini injuriam fecerit, illumqve pulsa-  
verit, decem millia denariorum det ei,  
cui injuriam fecerit, decem millia ci-  
vitati. In templo enim verbis par-  
cimus, in templo animos componi-  
mus, in templo etiam mentem no-  
stram custodimus. In templo etiam  
coronâ captis urbibus vis hostium ac  
metus religione defenditur. Qvi jam  
arma ferre non possunt, qvi salutem  
su-

suam tueri fugâ nequeunt, circa aras  
jacent. Quamquam excusatiùs eo tem-  
pore castrensis furor peccat, quòd dif-  
ficile est ultionis terminos non super-  
gredi, difficile iram quodam quasi re-  
verentiæ freno cohibere. Quid au-  
tem hîc simile? Sed pudet immorari  
tàm fœdo argumento: pudet ulcera  
quodammodo religionis publica tan-  
gere.

**I**Taqve ad alterum illud transeo de  
concordia ejus temporis dicturus,  
tum civium inter se, tum præfidiario-  
rum cum ipsis. Rara virtus, præfer-  
tim si nostros annos æstimes, & pro-  
clives in alia omnia mores. Sed non-  
dum ambitio, & turpis illa de loco su-  
periore contentio dissidiorum semina.

heu nimium foecunda tam late diffi-  
paverat ; nondum virus suum interpo-  
fuerat conjunctioni animorum ; non,  
invidia proxima quæqve depasceba-  
tur. Suus Senatui honos, sua Sacer-  
dotibus veneratio, sua literatis digni-  
tas, suus cuique cultus manebat. Ne-  
mo lividis oculis alterius incrementa,  
aspiciebat: nemo indolebat alienæ feli-  
citati. Vigebat inter cognatos amor,  
inter Collegas fides, inter vicinos fa-  
miliaritas, ubiqve pax, integritas, ri-  
sus, joci innocui. Fratres crederes, &  
ex una familia, uno sanguine omnes.  
Nunc autem. Sed cesso in publicos  
mores invehere, quibus impar est Res-  
publica, cum illud nec muneris mei,  
nec propositi sit. Verendum quoque,  
ne

ne sub larva publicæ indignitatis me-  
am causam agere videar, qui tamen  
pervicacissimo cuique facilè cedo. Pe-  
riculosum insuper se illis litibus com-  
mittere, ubi non merita, non æqui-  
tas, non præjudicia; sed supercilium,  
impudentia, clamor, protervia re-  
gnant.

Nec inglorium mihi cum bonis li-  
teris succumbere, quarum intermor-  
tuam gloriam ex suis cineribus nemo  
forte vindicare poterit, licet ipsas Mu-  
sas in advocationem adduceret. Illos  
potiùs miremur & videamus, qui Repu-  
blicam concordia sua salvam atque  
incolumem nobis præstiterunt.

Erant illi Georgius Hermannus  
de Schleiniz, præfidiarii militis Du-  
ctor,

Etor, Georgius Fridericus Schönber-  
gius, rei metallicæ supremus Præfe-  
ctus, Jonas Schönlebius Consul, quo-  
rum nomina etiam in posteris venera-  
mur, admiramur, diligimus; civitas au-  
tem meritis ipsorum solvendo non est,  
nec virtutis mensura ultra exire pot-  
est. Hi una mente, opera, consilio,  
manu in civium salutem, hostium  
perniciem ita incubuere, ut nec livor  
quidem inter fulgentes ipsorum virtu-  
tes locum invenerit, sed gloria etiam  
ad Imperatoris Ferdinandi III. aures  
perlata ingentem tanti Principis favo-  
rem ipsis conciliaverit, quod testantur  
tot literæ, si tam humili verbo uti li-  
cet, penè familiariter scriptæ. Aperta  
vi grassabatur hostis: pugnabant ci-  
ves



ves & milites in pari periculo pari affectu. Cuniculis res agebatur? Metallici subterraneis itineribus adsveti contrarios effodiebant dolos. Clandestinis nunciis opus erat? Iidem notis diviticulis illapsi alibi occultissimè emergabant, quis hostium status, quæ spes suppetiarum certâ fide referebant. Magnum utiqve in bello momentum. Erumpendum erat, & hostes in opere turbandi? Nemo pericula, vulnera, mortem detrectabat. Unus propugnatorum occubuerat, ut solet Mars esse communis, omnes ingemiscebant, omnes in vindictam accendebantur. Vulneratus quis erat? Fomenta, solatia, emplastra certatim afferebantur. Igne injecto læviebatur? Undiqve ac-

D

cur-



curfus fiebat. Denique milites, cives,  
foffores, agricolas, mechanicorum  
tirones unus amor, velut pro com-  
muni patria, unus ardor in hoftem  
concitabat. Jam minus miror Numan-  
tiam, parvum Hispaniæ oppidum toti  
Romano imperio non modò par, fed  
& fuperius, fed formidolofum. Con-  
cordes enim erant cives, & quo vali-  
diùs foris premebantur, hoc arctiùs do-  
mi coalescebant. Concordiâ, concor-  
diâ inquam, res parvæ crefcunt, difcor-  
diâ maximæ dilabuntur. Illa Diva,  
etiam Freibergam eo tempore ferva-  
vit, ficut hoc contra monftrum Ro-  
mam civilibus odiis concitatam tan-  
dem funditus evertit, & noftram, ut  
nunc fe res dant (quod tamen DEUS  
omen

omen avertat) Germaniam pessunda-  
bit. Rara aliàs concordia civium at-  
que militum, quos illi odere, velut ex  
alio elemento monstra; sive istud stu-  
diorum diversitas facit, sive damnorum  
subinde recrudescentes memoria. Pacis  
quippe alumni sunt cives, hi bello-  
rum. Illi juris & æqui, hi injuriarum  
atque rapinæ. Modestè illi agere &  
quietè; hi omnia violenter, impiè, mi-  
naciter. Eo tamen tempore tantus  
utrorumque invicem amor, ut & hi  
hospites suos diligerent, & illi commi-  
litionibus bene facerent. Cretenses  
ajunt civilibus inter se odiis plerumque  
dissentientes, quoties externa vis ingru-  
eret, factis induciis communem hostem  
adortos esse. Quo factum, ut Syncre-



tissimum appellarent falsa illa coactæ pa-  
cis simulachra. Sed nostra illa non ex  
communi periculo societas fuit, quod  
aliquando lupum & capram exundan-  
tibus aquis in una glaciei fractæ tabu-  
la conjunxit nihil invicem hostile au-  
fos. Duravit enim post obsidionem  
quoque hospitii fides, & nullæ usquam  
querelæ, jurgia, lites auditæ. Testan-  
tur illi, quos fatum suum superstites  
hodie reliquit, qui non sine aurium  
voluptate illam velut ex aureo seculo  
pacem animorum, mentium fraterni-  
tatem nobis commemorant. O nos  
beatos & ad invidiam fermè felices, si  
quis postliminiò hos mores nobis re-  
duceret! Et si hæc sola ratio est, quæ  
clandestino pure exulceratos animos  
com-

combinare queat iterum, ut tempora  
simul redeant, prope est, ut quamvis  
trepido ore, & refugientibus quodam-  
modo intra septa sua verbis exclamem,  
tanti esse, modò sponforem paris fortu-  
næ haberemus.

Quid enim toti huic, quacunqve  
patet, universo incolumitatem præ-  
stat? quædam elementorum inter se  
concordia. Quid in aurei seculi felici-  
tate utramqve paginam fecit? concor-  
dia. Quid humani corporis compa-  
gem ex diversissimis principiis compo-  
sitam intra sanitatis circulum cohibet?  
Concordia. Corrumpe hanc, & omnia  
diffluere, omnia pessum ire, ipsum  
deniqve mundum in antiquum cha-  
os redire videbis, quæ rudis indige-

D 3

itaqve



Itaque moles priusquam legem acci-  
peret,

*Frigida pugnabant calidis, humentia  
siccis,*

*Mollia cum duris, sine pondere haben-  
tia pondus.*

Et quia semel justissimi desiderii pietas  
orationem ad Poëtarum numeros eve-  
xit, non possum pati, quin extremum  
hujus quoque partis spiritum depo-  
nam in ejusdem Sulmonensis versu se-  
quente:

*Hanc Deus & melior litem natura di-  
remit.*

**R**estat jam ut ad ultimam, & si ju-  
dicio hujus seculi standum, præci-  
puam partem meæ orationis deveniam.

Ad

Ad magnorum enim operum ordinem  
jam defluximus. Fortitudinem dico,  
illum generosæ indolis foetum, illam  
gloriæ sublimioris pronubam. Quam-  
vis enim pietas suam laudem habeat,  
nec concordia deterioris metalli pute-  
tur, nescio tamen quo hominum sive  
vitio, sive præjudicio robur istud ani-  
mi velut pleniore fidere effulgens illu-  
striores radios spargit, & qui magis in  
oculos incurrant. Quod verò à mul-  
tis malè audit vel causæ facit diversi-  
tas, vel audaciæ vicinia, vel quod cædi-  
bus & sanguine pascitur, exultat su-  
per stratorum corporum strages, &  
palpitantibus adhuc cadaveribus ala-  
cer infistit. Piratarum verò & prædo-  
num fortitudinem nemo laudaverit.

Si



Si autem pro patria pugnare, vincere,  
mori contigerit, tùm verò omnium  
admirationem & clamores excitat. No-  
stri autem quàm strenuè se gesserint,  
meliùs intelligi non potest, quàm  
si hostium vim, pertinaciam, dolos, &  
desperatos planè assultus perpenderi-  
mus. DEUS bone quanta hïc laudum  
seges panditur, quàm uber elogiorum  
campus! Agnosco hïc oris mei infan-  
tiam. Quæ enim eloquentia, quæ gran-  
ditas oris machinarum bellicarum boa-  
tus dicendo æquet?

*Non ego (si Poëtico cothurno incedere  
licet) clamosum si Stentora vincere pos-  
sem,*

*Non, mihi si linguæ centum sint oraque  
centum,  
Ferreæ vox.*

*Id*



Id dicere sufficiat, nihil hostes inten-  
tatum reliquisse, nulli operæ, labori,  
fangvini pepercisse, ut urbe potiren-  
tur. Iphis cladibus velut sensibus suis  
expulsi accendebantur: pro fortitu-  
dine erat desperatio & infana quædam  
vindiçtæ cupiditas. Urbs eo tempo-  
re nec vallo, nec aliis operibus muni-  
ta horrenda machinarum violentia pul-  
sata, quater mille & quingentis ic-  
tibus muri ultra viginti cubitos dejecti,  
illarum ruinis fossæ æqvatae, ex morta-  
riis ingentia saxa & lapideus imber in  
oppidum dejectus, domus & tecta per-  
forata, quatuordecim cuniculis suffossa  
pomœria & propugnacula urbis (præ-  
ter eos, qui corrupti vel ablati nocendi  
vim amiserant) pyrioque pulvere fun-

E

ditus

ditus everſa. Jamq̄ve ipſi portæ Pe-  
trinæ cum vicina turri hoſtis victor,  
incubuerat, & per planum iter aditus  
in urbem furenti & cædem ſpiranti  
patebat. Nihil noſtris in fati abrupto  
ſtantibus ſupererat, præter lignea,  
qvædam opera in vicino vico oppoſi-  
ta, eaq̄ve malè integra. Cùm Dio-  
xippus pugil, eximia virium virtute,  
fretus cum Horrata Macedone, qui  
juſta arma ſumpſerat, nudus congre-  
deretur, plerisq̄ve ea res dementia,  
non temeritas videbatur, ut Curtius  
refert. Polydamanta q̄vendam Pan-  
cratiſten Eufebius memorat idem,  
ſæpius factitâſſe. Hæc ſi quis ad exa-  
men veræ fortitudinis revocet, oſten-  
tationem q̄vandam agilitatis atq̄ve vi-  
rium

rium fuisse deprehendet. Nostrorum  
verò animos quin generosa quædam  
& ex ipsa desperatione vires sumens  
contumacia armaverit, dubium planè  
nullum est. Erepta erat copia defen-  
sionis, cum ex nostris munitionibus  
jugulum libertatis nostræ invaderet  
hostis. Palpitabat illa jam sub acie  
novaculæ, & tamen nuda reluctabatur  
vel pectoris oppositu viam hostibus in-  
terclusura. Nunquam certè pertina-  
ciùs pugnatum, quàm cum ultima fa-  
ta propiùs admoveri viderentur, quàm  
cum spes quoque salutis eriperetur.  
Quæ cum admirabundus perpendo,  
in mentem venit Romani militis, qui  
cum Cannensi prælio amisisset utram-  
que manum, & victor Pœnus arma

detrahere vellet illi, truncis incuban-  
tem complexus morfu, quo solo no-  
cere poterat, nasum atque aures ab-  
stulit. Sic nostri jam victi, jam pro-  
strati, jam amputatis omnibus auxi-  
liis, repugnabant tamen, & invictum  
animum jam irruentibus opponebant,  
dum in officio vires erant. Quin mul-  
tis illorum non modò ad vulnerum;  
sed & morborum patientiam duravit  
obstinatio, adeò, ut vix ad gressus ni-  
terentur. Multi quinque continuis  
noctibus atque diebus sine somno &  
respiratione in excubiis erant. Deni-  
que nihil ex utraque parte omissum,  
quod vel ad capiendam vel defenden-  
dam urbem virtus, ira, spes, despera-  
tio excogitare potuit. Ipse hostis sæ-  
pè fa.

pè fatigatus inducias breves sibi non  
rarò sumebat, quibus scribendis ad op-  
pidanos literis & mittendis oratoribus  
inutilem eloquentiam ridiculè confu-  
meret. Nempe quorum arma non  
poteris frangere, argumentis precariis  
pertinaciam expugnabis. Quoties au-  
tem istud fiebat, toties recidiva tem-  
pestas ipsius repulsæ dolore irritata  
toto furore recrudit. Sic venti so-  
lent inducias quasdam cum fluctibus  
pacisci, ut tantò gravius incumbant,  
collectis in novam insaniam viribus.  
Sæpè etiam plus quàm humanis viri-  
bus se fatigari sentiens Svecus Ephe-  
finas civium artes per calumniam caus-  
fabatur, quibus omnes ipsorum cona-  
tus irriti redderentur, in ludibrium.

E 3

reci-



reciderent. Ipse Torstensohnus totus in fermento jacebat pudore, ira, metu animam variè macerans, ut nec hieme, nec ostentis, nec cladibus suorum quotidianis, nec precibus multorum, aut monitis ab instituto everteudæ urbis, quam semel in ultionem odii sui destinaverat, se dimoveri pateretur. Adeò pertinax spes est, quam humanæ mentes semel devoverunt. Librabat atqve impingebat illum prodigiosa quædam contumacia, in urbem nostram instar teli alicujus, & casuri non sine noxa ponderis. Ignoscite, Auditores, si extra me hoc loco abripior, & epinicion istud Esaiæ jam fugam adornantibus succino: **Classicum canite populi & vincimini, & audite**

dite universæ procul terræ. Confor-  
tamini & vincimini: accingite vos &  
vincimini. Inite consilium, & dissipa-  
bitur: loquimini verbum & non fiet,  
quia nobiscum DEUS. Illuxerunt  
enim paulò post Liberalia, ut ita di-  
cam, nostra, & hostis d. 17. Februarii, 1643.  
metu adventantis Cæsareani exercitus,  
ingratiis suis coactus fuit ab obsidione  
cum pudore & ignominia tribus mili-  
tum millibus amissis recedere, cum  
in ipsa urbe saltem quinquaginta va-  
riis casibus perierint. Nec mirum,  
cum omnes obviis ictibus membra cir-  
cumferrent, spiritumque naturæ debi-  
tum patriæ utilitatibus absumi opta-  
rent. Nulla enim unquam tam incru-  
enta victoria contigit, quæ non habe-  
ret

ret aliquam tristitiæ recordationem.  
Stupebant & admiratione attoniti con-  
templabantur advenientes Cæsareani  
incredibilem vim hostium, laceratas  
turre, perforatos muros, fossam ru-  
deribus illorum solo æqvata, ut unus  
illorum eqvo vectus per ea in ipsam  
urbem transcenderet. Mirabitur quo-  
que omnis vetustas, sola virtutum in-  
corrupta testis, illam Svecici militis  
famam, cui vix tota Germania par-  
erat, illos armis inclytos, tot trium-  
phis nobiles ad oppidum, si firmita-  
tem spectes, ignobile ad ludibrium  
recidisse. Et ne casum putes (mul-  
tum quippe in bello valet fortunæ ar-  
bitrium) idem hostis bis ab eadem ur-  
be rejectus. Hæsit ad Freibergam de-  
pre-



prehenſa Septentrionis felicitas, inq̄ve  
eodem ſcopulo bis naufragium fecit.  
Hinc & longè lateq̄ve diffuſa gloria hu-  
jus obſidionis, non aulam modò Cæſa-  
ream, quæ tum à nobis erat, ſed & longè  
diſſitas regiones implevit, Alpes tran-  
ſcendit & Pyrenæos, maria tranſiit,  
ac abſit invidia dicto, admiratione tan-  
tæ virtutis conſcia Europa obſtupuit.  
Non invidemus Thermopylis ſuum  
decus, & nocturni illius prælii felix  
furtum. Impenderint ſanè utiliter tre-  
centi illi operam mortis ſuæ rebus com-  
munibus. Occinat ad ravim Maratho-  
na ſuum loqvax Græcia, & Salamina  
omnibus paginis obtrudat. Quid mi-  
rum, ſi viri ſcæminas, & ignaviſſimi ho-  
ſtis imbelliam vicerunt? Hinc enim

F

peco-



pecora, illinc lanii steterunt. Nostris  
civibus cum veterano milite & exerci-  
tato, & tot victoriis inclyto dimican-  
dum, ad pacis, quam belli studia aptio-  
ribus. Sed quid ago? Non nobis, Do-  
mine, non nobis, sed tuo nomini fit glo-  
ria! Solebant veteris Romæ triumphatores lauream, qua coronati invehe-  
bantur, in Jovis Capitolini gremium  
deponere, pie sanè & modestè victo-  
riæ laudem Deo suo qualicunque tribu-  
entes. Et nos humiliter confitemur,  
cœlitus adversus hostem nostrum di-  
micatum esse. Is quem animum adver-  
sariis abstulit, nostris addidit. Ille ur-  
bem, ille templa, ille Senatum, ille ci-  
ves tuitus est. Ita & majores senserunt,  
cùm juberent anniversaria supplicatio-  
ne

ne DEO agere gratias, cùm civicas suas  
& totius urbis obsidionalem coronam  
in sinum DEI hoc ipso decreto velut  
deponerent. Maçti estote, viri fortissi-  
mi hac pietate vestra, qui virtute vestra,  
vicariis periculis, vestro sangvine pa-  
triam nobis conservastis!


Tibi verò, ô æterne & Clementissi-  
me DEUS, omni animi submissione,  
gratias immortales decernimus, quòd  
robur masculum inspirasti pro patria  
pugnantibus, ut animos supra pericula  
erigerent, vitæ ipsi renunciarent; quòd  
perniciem ab incolis, interitum à po-  
moeriis clementer avertisti. Tuum est  
istud beneficium, tibi uni acceptam fe-  
rimus religionem, vitam, salutem, opes,  
incolumitatem, quam ad nos posteros

F 2

quo-



41 208 A  
qvoqve propagare pro inexhausta be-  
neficentia tua voluisti. Conserva, quæ-  
sumus & perfice bonum opus, quod in  
parentibus incepisti. Da pacem, largire  
concordiam, & animos nostros igne  
pietatis accende! Protege nobilissi-  
mum Senatum, tuere venerandum Mi-  
nisterium, serva cives, complectere o-  
mnes, quo semper solitus es favore. Ita  
& posteris nostri, cum nos decretoria  
hora per tacitos fallentesque cursus ap-  
plicuerit fato, nomen Tuum celebra-  
bunt votorum nostrorum rei. Valeat in-  
tercessio filii pro nequam servis, satisfac-  
tio pro debitoribus, redemptio  
pro perditis!



FREIBERGÆ,  
Literis ZACHARIÆ BECKERI,  
M DC LXXXIII,



*JESU ju*

**S**I quis penitenti-  
 tam festorum  
 atur, gaudii  
 dam femina custodire ill-  
 qui duo affectus homin-  
 ex æquo ferme intercu-  
 beneficiorum divinoru-  
 titiæ quodam sensu me-  
 tillat: ita calamitatum  
 tra lancinat, totiusqve  
 molesto interventu tu-  
 tamen diversitas vel inc-  
 lis se sistit in eo, quòd

